

43. Vasculum, seu cochlear ex argento, vel alio metallo nitidum, ad aquam Baptismi fundendam super caput baptizandi, quod nulli præterea alii usui deserviat.

44. Pelvis, seu bacile ad excipiendam aquam ex capite defluentem, nisi statim in sacrarium defluat.

45. Gossipium, alio nomine bombacium, seu quid simile, ad abstergenda loca sacris Oleis inuncta.

46. Stolæ duæ, ubi commode haberi possunt, una violacea, et altera alba, ut infra notatur, mutanda, sin minus, una saltem adhibeatur.

47. Medulla panis, qua inuncti Sacerdotis digiti, cum manus lavat, abstergantur; et vas pro manuum lotionem post Baptismum, quod huic tantum usui deservire debet.

48. Alba vestis in modum pallioli, seu linteolum candidum, infantis capiti imponendum.

49. Cereus, seu candela cerea, baptizato ardens tradenda.

50. Hic denique Ritualis liber sit paratus; et item liber Baptismalis, in quo baptizati describuntur.

51. Omnibus igitur opportune præparatis, Sacerdos ad tanti Sacramenti administrationem, lotis manibus, superpelliceo, et stola violacea indutus, accedat: Clericum unum, seu plures, si potest, secum adhibeat superpelliceo pariter indutos, qui sibi ministrent.

52. Ita paratus accedat ad limen Ecclesiæ, ubi foris expectant qui infantem detulerunt.

53. Interroget, nisi de his bene sibi constet, an sit suæ parochiæ, masculus, an fœmina, an sit domi baptizatus, et a quo, et quam rite, et qui sint compatres, qui infantem teneant, pro eoque respondeant; quos pie ac decenter assistere, ac prout opus fuerit, pro baptizando ad interrogationes respondere admoneat.

54. Et quoniam iis qui baptizantur, tamquam Dei filiis in Christo regenerandis, et in ejus militiam adscribendis, nomen imponitur, curet, ne obscœna, fabulosa, aut ridicula, vel inanium deorum, vel impiorum ethnicorum hominum nomina imponantur, sed potius, quatenus fieri potest, Sanctorum, quorum exemplis fideles ad pie vivendum excitentur, et patrociniis protegantur.

55. His igitur expeditis, et accepto nomine baptizandi, positi, si infans fuerit, super brachium dextrum illius, qui eum defert; Parochus ad Baptismum procedat, in hunc modum nominatim interrogans.

CAPUT 2.

ORDO BAPTISMI PARVULORUM.

Sacerdos interrogat: **N.** Quid petis ab Ecclesiâ Dei?

Patrinus respondet: Fidem.

Sacerdos: Fides, quid tibi præstat?

Patrinus respondet: Vitam æternam.

2. Sacerdos: Si igitur vis ad vitam ingredi, serva mandata. Diliges Dóminum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota ánima tua, et ex tota mente tua, et próximum tuum sicut teípsum.

3. Deinde ter exsufflet leniter in faciem infantis, et dicat semel:

Exi ab eo (vel ab ea), immunde spíritus, et da locum Spíritui sancto Paráclito.

4. Postea pollice faciat signum Crucis in fronte, et in pectore infantis, dicens:

Accipe signum Crucis tam in fronte, ✠ quam in corde: ✠ sume fidem cœlestium præceptorum: et talis esto móribus, ut templum Dei jam esse possis.

Orémus.

Preces nostras, quæsumus Dómine, cleméner ex-aúdi: et hunc Eléctum tuum **N.** Crucis Domínicæ impressióne signátum perpétua virtúte custódi: ut magnítudinis glóriæ tuæ rudiménta servans, per custódiám mandatórum tuórum ad regeneratiónis glóriam pervenire mereátur. Per Christum Dóminum nostrum.

R. Amen.

5. Deinde imponat manum super caput infantis, ac dicat:

Orémus.

Omnípotens, sempitérne Deus, Pater Dómini nostri Jesu Christi, respícere dignáre super hunc fámulum tuum **N.**, quem ad rudiménta fídei vocáre dignátus es: omnem cæcitatém cordis ab eo expélle: disrúmpe omnes láqueos Sátanæ, quibus fúerat colligátus: áperi ei, Dómine, jánuam pietátis tuæ, ut signo sapiéntiæ tuæ imbútus, ómnium cupiditátum foetóribus cáreat, et ad suávem odórem præceptórum tuórum lætus tibi in Ecclésia tua desérviat, et proficiat de die in diem. Per eúndem Christum Dóminum nostrum.

R. Amen.

6. Deinde Sacerdos benedicat sal, quod semel benedictum alias ad eundem usum deservire potest.

Benedictio Salis.

Exorcízo te, creatúra salis, in nómine Dei Patris omnipoténtis, ✠ et in caritaté Dómini nostri Jesu Christi, ✠ et in virtúte Spíritus ✠ sancti. Exorcízo te per Deum vivum, ✠ per Deum verum, ✠ per Deum sanctum, ✠ per Deum, ✠ qui te ad tutelam humáni géneris procreávit, et pópulo veniénti ad credulitatém per servos suos consecrári præcépit, ut in nómine sanctæ Trinitátis efficiáris salutáre sacraméntum ad effugándum inimícum. Proínde rogámus te, Dómine, Deus noster, ut hanc creatúram salis sanctificádo sanctífices, ✠ et benedicédo benedícas, ✠ ut fiat ómnibus accipiéntibus perfécta medicína, pórmanens in viscéribus eórum, in nómine ejúsdem Dómini nostri Jesu Christi, qui ventúrus est judicáre vivos et mórtuos, et sáculum per ignem.

R. Amen.

7. Deinde immittat modicum salis benedicti in os infantis, dicens:

N. Accipe sal sapiéntiæ: propitiátio sit tibi in vitam ætérnam. **R.** Amen.

Sacerdos: **Pax** tecum. **R.** Et cum spíritu tuo.

Orémus.

Deus patrum nostrórum, Deus univérsæ cónditor veritátis, te súplices exorámus, ut hunc fámulum tuum **N.** respícere dignéris propítius, et hoc primum pábulum salis gustántem, non diútius esuríre permíttas, quo minus cibo expleátur coelésti, quátenus sit semper spíritu fervens, spe gaudens, tuo semper nómini sérvians. Perduc eum, Dómine, quæsumus, ad novæ regeneratiónis lavácrum, ut cum fidélibus tuis promissiónum tuárum ætérna præmia cónsequi mereátur. Per Christum Dóminum nostrum.

R. Amen.

Exorcízo te, immúnde spíritus, in nómine Patris, ✠ et Fílii, ✠ et Spíritus ✠ sancti, ut éxeas, et recédas ab hoc fámulo Dei **N.**: Ipse enim tibi ímperat, maledícite damnáte, qui pédibus super mare ambulávit, et Petro mergénti délixteram porréxit.

Ergo, maledícite diábole, recognósce sentétiám tuam, et da honórem Deo vivo et vero, da honórem Jesu Christo Fílio ejus, et Spíritui sancto, et recéde ab hoc fámulo Dei **N.**, quia istum sibi Deus et Dóminus noster Jesus Christus ad suam sanctam grátiam, et benedictiónem, fontémque Baptísmatis vocáre dignátus est.

8. Hic pollice in fronte signat infantem, dicens:

Et hoc signum sanctæ Crucis, ✠ quod nos fronti ejus damus, tu, maledícite diábole, numquam

aúdeas violáre. Per eúmdem Christum Dóminum nostrum. **R.** Amen.

9. Mox imponit manum super caput infantis, et dicit:

Orémus.

Atérnam, ac justíssimam pietátem tuam déprecor, Dómine sancte, Pater omnipotens, ætérne Deus, auctor lúminis et veritátis, super hunc fámulum tuum **N.**, ut dignéris illum illumináre lúmine intelligéntiæ tuæ: munda eum, et sanctífica: da ei sciéntiam veram, ut dignus grátia Baptísmi tui efféctus, téneat firmam spem, consílium rectum, doctrínam sanctam. Per Christum Dóminum nostrum.

R. Amen.

10. Postea Sacerdos imponit extremam partem stolæ super infantem, et introducit eum in Ecclesiam, dicens:

N. Ingrédere in templum Dei, ut hábeas partem cum Christo in vitam ætérnam.

R. Amen.

11. Cum fuerint Ecclesiam ingressi, Sacerdos procedens ad Fontem cum Susceptoribus conjunctim clara voce dicit:

Credo in Deum, Patrem omnipoténtem, creatórem cœli, et terræ. Et in Jesum Christum, Fílium ejus únicum, Dóminum nostrum; qui concéptus est de Spíritu sancto, natus ex María Virgine; passus sub Póntio Piláto, crucifíxus, mórtuus, et sepúltus; descéndit ad íferos, tértia die resurréxit a mórtuis: ascéndit ad cœlos, sedet ad dexteram Dei Patris omnipoténtis; inde ventúrus est judicáre vivos, et mórtuos. Credo in Spíritum sanctum; sanctam Ecclésiám Cathólicam; Sanctórum communionem; remissionem peccatórum; carnis resurrectionem; vitam ætérnam. Amen.

Pater noster, qui es in cœlis, sanctificétur nomen tuum: advéniat regnum tuum: fiat volúntas tua, sicut in cœlo, et in terra. Panem nostrum quodiánum da nobis hódie: et dimítte nobis débíta nostra, sicut et nos dimíttimus debitóribus nostris: et ne nos indúcas in tentatiónem: sed libera nos a malo. Amen.

12. Ac deinde, antequam accedat ad Baptisterium, dicat:

Exorcismus.

Exorcízo te, omnis spíritus immúnde, in nómine Dei Patris omnipoténtis, ✠ et in nómine Jesu Christi Fílii ejus, Dómini et Júdicis nostri, ✠ et in virtúte Spíritus ✠ sancti, ut discédas ab hoc plásmate Dei **N.**, quod Dóminus noster ad templum sanctum suum vocáre dignátus est, ut fiat templum Dei vivi, et Spíritus sanctus hábitet in eo. Per eúmdem Christum Dóminum nostrum, qui ventúrus est judicáre vivos et mórtuos, et sæculum per ignem. **R.** Amen.

13. Postea Sacerdos digito accipiat de saliva oris sui, et tangat aures et nares infantis: tangendo vero aurem dexteram, et sinistram, dicat:

Ephpheta, quod est, **Adaperíre**: deinde tangit nares, dicens: **In odórem suavitátis. Tu autem effugáre, diabóle; appropinquábit enim júdicium Dei.**

14. Postea interrogat baptizandum nominatim, dicens:

N. Abrenúntias Sátanæ?

Respondet Patrinus: **Abrenúntio.**

Et ómnibus opéribus ejus? **R.** Abrenúntio.

Et ómnibus pompis ejus? **R.** Abrenúntio.

15. Deinde Sacerdos intingit pollicem in oleo Catechumenorum, et infantem ungit in pectore, et inter scapulas in modum crucis, dicens:

Ego te línio ✠ óleo salutis in Christo Jesu Dómino nostro, ut hábeas vitam ætérnam.

R. Amen.

16. Hic deponit stolam violaceam, et sumit aliam albi coloris.

17. Subinde pollicem et inuncta loca abstergit bombacio, vel re simili. Et interrogat expresso nomine baptizandum, Patrino respondente:

N. Credis in Deum Patrem omnipotentem, Creatorem cœli et terræ? **R.** Credo.

Credis in Jesum Christum, Filium ejus unicum, Dominum nostrum, natum, et passum?

R. Credo.

Credis et in Spiritum sanctum, sanctam Ecclesiam Catholicam, Sanctorum communionem, remissionem peccatorum, carnis resurrectionem, et vitam æternam? **R.** Credo.

18. Subinde expresso nomine baptizandi, Sacerdos dicit:

N. Vis baptizari?

Respondet Patrinus: **Volo.**

19. Tunc Patrino, vel Matrino, vel utroque (si ambo admittantur) infantem tenente, Sacerdos vasculo, seu urceolo accipit aquam baptismalem, et de ea ter fundit super caput infantis in modum crucis, et simul verba proferens, semel tantum distincte, et attente, dicit:

N. Ego te baptizo in nomine Patris, ✠ fundat primo, et Filii, ✠ fundat secundo, et Spiritus ✠ sancti, fundat tertio.

20. Ubi autem est consuetudo baptizandi per immersionem, Sacerdos accipit infantem, et advertens ne lædatur, caute immergit, et trina mersione baptizat, et semel tantum dicit:

N. Ego te baptizo in nomine Patris, ✠ et Filii, ✠ et Spiritus ✠ sancti.

21. Mox Patrinus, vel Matrino, vel uterque simul infantem de sacro Fonte levant, suscipientes illum de manu Sacerdotis.

22. Si vero dubitatur, an infans fuerit baptizatus, utatur hac forma:

N. Si non es baptizatus, ego te baptizo in nomine Patris, ✠ et Filii, ✠ et Spiritus ✠ sancti.

23. Deinde intingit pollicem in sacro Chrismate, et ungit infantem in summitate capitis in modum Crucis, dicens:

Deus omnipotens, Pater Domini nostri Jesu Christi, qui te regeneravit ex aqua et Spiritu sancto, quique dedit tibi remissionem omnium peccatorum, (hic inungit) ipse te liniat Chrismate salutis ✠ in eodem Christo Jesu Domino nostro in vitam æternam. **R.** Amen.

Sacerdos dicit: **Pax tibi. R.** Et cum spiritu tuo.

24. Tum bombacio, aut re simili abstergit pollicem suum, et locum inunctum, et imponit capiti ejus linteolum candidum loco vestis albæ, dicens:

Accipe vestem candidam, quam immaculatam perferas ante tribunal Domini nostri Jesu Christi, ut habeas vitam æternam. R. Amen.

25. Postea dat ei, vel Patrino, candelam accensam, dicens:

Accipe lampadem ardentem, et irreprehensibilis custodi Baptismum tuum: serva Dei mandata, ut cum Dominus venerit ad nuptias, possis occurrere ei una cum omnibus Sanctis in aula cœlesti, habeasque vitam æternam, et vivas in sæcula sæculorum. R. Amen.

26. Postremo dicit:

N. Vade in pace, et Dominus sit tecum. **R.** Amen.

27. Si vero fuerint plures baptizandi, sive masculi, sive feminae, in catechismo masculi statuuntur ad dexteram, feminae vero ad sinistram; omnia pariter dicantur ut supra, in proprio genere, et numero plurali. Verum prima nominis interrogatio, exsufflatio, Crucis impressio, seu signatio, tactus aurium et narium cum saliva, abrenuntiationis interrogatio, unctio Olei Catechumenorum, interrogatio de Fide, seu Symbolo, et ipse Baptismus, inunctio Chrimatis, candidæ vestis impositio, atque accensæ candelæ traditio, singulariter singulis, et primum masculis, deinde feminis fieri debent.

28. Si infans, vel adultus ægrotus adeo graviter laboret, ut periculum immineat, ne pereat antequam Baptismus perficiatur, Sacerdos, omissis quæ Baptismum præcedunt, eum baptizet, ter, vel etiam semel infundens aquam super caput ejus in modum crucis; dicens: Ego te baptizo in nomine Patris, ✠ etc. ut supra, pag. 16.

29. Si non habeatur aqua Baptismalis, et periculum impendeat, Sacerdos utatur aqua simplici.

30. Deinde si habeat Chrisma, liniat eum in vertice, dicens: Deus omnipotens, etc. ut supra, pag. 17.

Postea dat ei linteolum candidum, dicens: Accipe vestem, etc. ut supra, pag. 17.

Ac demum dat ei ceream candelam accensam, dicens: Accipe lámpadem ardéntem, ut supra. pag. 17.

Si supervixerit, suppleantur alii ritus omissi.

31. Admonendi sunt Susceptores de spirituali cognatione, quam contraxerunt cum Baptizato, Baptizatique patre et matre; quæ cognatio impedit Matrimonium, ac dirimit.

32. Curet Parochus parentes infantis admoneri, ne in lecto secum ipsi, vel nutrices parvulum habeant, propter oppressionis periculum; sed eum diligenter custodiant, et opportune ad Christianam disciplinam instituunt.

33. Commonendi sunt etiam parentes, et alii, si opus fuerit, ne filios hebræis, aliisque infidelibus, vel hæreticis mulieribus ullo modo lactandos, aut nutriendos tradant.

34. Antequam infans ex Ecclesia asportetur, aut Susceptores discedant, eorum nomina, et alia de administrato Baptismo ad præscriptam formam in Baptismali libro Parochus accurate describat.

CAPUT 3.

DE BAPTISMO ADULTORUM.

Siquis adultus sit baptizandus, debet prius, secundum Apostolicam regulam, in Christiana fide, ac sanctis moribus diligenter instrui, et per aliquot dies in operibus pietatis exerceri, ejusque voluntas et propositum sæpius explorari, et nonnisi sciens et volens, probeque instructus baptizari.

2. At vero si quis, dum instruitur, in mortis periculum incidat, baptizarique voluerit, habita ratione periculi, vel necessitatis, baptizetur.

3. Adultorum Baptismus, ubi commode fieri potest, ad Episcopum deferatur, ut si illi placuerit, ab eo solemniter conferatur, alioquin Parochus ipse baptizet, stata cæremonia.

4. Decet autem hujusmodi Baptismum, ex Apostolico instituto, in Sabbato sancto Paschatis, vel Pentecostes solemniter celebrari.

5. Quare si circa hæc tempora Catechumeni sint baptizandi, in ipsos dies, si nihil impediatur, Baptismum differri convenit.

6. Verum si circa, seu post tempus Pentecostes aliqui conversi fuerint, qui ægre ferant suum Baptismum in longum tempus

differri, et ad illud festinent, instructique, ac rite parati esse noscantur, citius baptizari possunt.

7. Catechumenus instructus baptizetur in Ecclesia, seu Baptisterio, Patrinus ei assistat, et ipse Catechumenus ad Sacerdotis interrogationes respondeat, nisi mutus fuerit, aut omnino surdus, vel ignotæ linguæ; quo casu vel per Patrinum, si illam intelligat, aut alium interpretem, vel nutu, consensum explicet suum.

8. Pro hujus autem veneratione Sacramenti, tam Sacerdotem, qui adultos baptizabit, quam ipsos adultos, qui sani sunt, convenit esse jejunos.

9. Quare non post epulas, aut prandia, sed ante meridiem (nisi ex rationabili causa aliter faciendum esset) eorum Baptisma celebretur.

10. Admonendus est Catechumenus, ut peccatorum suorum pœniteat.

11. Amentes et furiosi non baptizentur, nisi tales a nativitate fuerint: tunc enim de iis idem iudicium faciendum est, quod de infantibus, atque in fide Ecclesiæ baptizari possunt.

12. Sed si dilucida habeant intervalla, dum mentis compotes sunt, baptizentur, si velint. Si vero antequam insanirent, suscipiendi Baptismi desiderium ostenderint, ac vitæ periculum immineat, etiamsi non sint compotes mentis, baptizentur.

13. Idemque dicendum est de eo, qui lethargo, aut phrenesi laborat, ut tantum vigilans et intelligens baptizetur; nisi periculum mortis impendeat, si in eo prius apparuerit Baptismi desiderium.

14. Sacerdos diligenter curet, ut certior fiat de statu et conditione eorum, qui baptizari petunt, præsertim exterorum: de quibus facta diligenti inquisitione, num alias, ac rite sint baptizati, caveat, ne quis jam baptizatus, imperitia, vel errore, aut ad quæstum, vel ob aliam causam, fraude, dolove iterum baptizari velit.

15. Omnes autem, de quibus, re diligenter investigata, probabilis dubitatio est, an baptizati fuerint, si nihil aliud impediatur, sub conditione baptizentur.

16. Hæretici vero ad Catholicam Ecclesiam venientes, in quorum Baptismo debita forma, aut materia servata non est, rite baptizandi sunt; sed prius errorum suorum pravitatem agnoscant et detestentur, et in fide Catholica diligenter instruuntur: ubi vero debita forma et materia servata est, omissa tantum suppleantur, nisi rationabili de causa aliter Episcopo videatur.

17. Ceterum legantur, et servantur ea, quæ supra de Baptismo in communi præscripta sunt, cap. 1.